



**Vademecum Sive Praxis Opera Quotidiana Aliaque ritè
peragendi, & per ea salutem & perfectionem propriam, ac
proximi, instituto Societatis Jesu conformem assequendi**

De crebrâ per diem mentis in Deum elevatione ex omnibus, quæ per
sensus attinguntur, animæque potentiis se objiciunt

Limpens, Ferdinand

Coloniæ Agrippinæ, 1744

Documenta pro afflictis.

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54773](#)

134 *Pars secunda de elevatione*
dum verbum Dei , & peccata in Confessione
non aperienda. *Tanquam surdus non audiebam*,
& sicut mutus non aperiens os suum. Pl. 37. Da-
vid in persona Christi. *Testificor in Domino, ut*
jam non ambuletis, sicut & gentes ambulant in va-
nitate sensus sui, & tenebris obscuratum habent
*intellectum, alienati à vita Dei, propter felici-*ta**
tem cordis ipsorum. Ephes. 4. *Exi citò in plateas*
& vicos civitatis, & pauperes ac debiles, & ca-
cinos & claudos introduc huc. Luc. 14. Ergo ne-
mo , uteunque abjectus videatur in mundo
hoc , excluditur à convivio cælestis Patris-fam-
iliæ. Dummodo habeat vestem nuptialem gra-
tiæ sanctificantis : quâ plerumque magis desi-
tuti sunt felices in mundo hoc , quam alii. Et
sic ligatis manibus & pedibus projiciuntur inter-
nebras exteriores. Matth. 22. *Usquequo cla-*di**
catis in duas partes ? si Dominus est Deus, se-
quimini eum ; si autem Baal, sequimini illum.
3. Reg. 18. Pseudopoliticus definitur, quod sit
animal ita serviens Deo , ut non offendat Dia-
bolum.

Documenta pro afflictis.

Cum ab infantia (Tobias) semper Deum si-
muerit, & mandata eius custodierit, non est
contristatus contra Deum, quod plaga cætitatis eve-
nerit ei : sed immobilis in Dei timore permanens
agens gratias Deo omnibus diebus vita sua. Tob.
2. Hanc autem tentationem ideo permisit Domi-
nus evenire illi, ut posteris daretur exemplum pa-
cietur.

tientiae ejus, sicut & Sancti Job. Ibid. Hoc miseri variisque adversis pressi cordi ducant, & dicant cum eodem: *Justus es Domine, & omnia iudicia tua justa sunt, & omnes viae misericordia & veritas & judicium.* Tob. 3. & cuncti Sara ibid. *Hoc pro certo habet omnis, qui te collit, quod vita ejus, si in probatione fuerit, coronaabitur. Si autem in tribulatione fuerit, liberabitur, & si in correptione [ob peccata] fuerit, ad misericordiam tuam venire licebit.* Non enim delectaris in perditionibus nostris, quia post tempestatem tranquillum facis, & post lacrymationem & fletum, exultationem infundis (internum solatium) sit nomen tuum Deus Israël benedictum in secula. Quod si jam in miseria tua subinde impatiens fuisti, aut improvidè quaëdam effutiisti, adeoque de te dici non possit, quod de Jobo: *In omnibus his non peccavit Job labiis suis: dole, & revertere ad Dominum Deum tuum, quem impatientia tuâ non cuges ad te liberandum ab hac vel illa miseria: sed potius pro altera vita pœnas inferni aut purgatorii augebis.* Sicut patientiam, & in Dei voluntatem resignatione coronas auges æternas. Et sicut possessio hujus mundi nihil sunt respectu pœnarum in vita altera; ita & omnis felicitas & infelicitas in vita hac nihil est respectu coronarum æternarum. *Momentaneum & leve tribulationis nostræ eternum gloria pondus operatur in nobis.* 2. Cor. 4. *Sperent in te, qui noverunt nomen tuum, quoniam non dereliquisti querentes te Domine.* Ps. 9. Est & hoc notandum, quod Chrysost. hom. 8.

136 *Pars secunda de elevatione*
in Matth. describens fata S. Josephi Nutritii Sal-
vatoris observat dicens : *Misericors Deus mæstis*
rebus quædam etiam jucunda permiscuit, quod
certè in Sanctis omnibus facit, quos neque tribula-
tiones neque jucunditates finit habere perpetuas,
sed tum de adversis tum ex prosperis justorum vi-
tam quasi admirabili varietate contexit. Et hoc
te sive sacerdotalis sive religiosus sis, sive in hoc
sive in illo officio consolari & animare debet,
Præterea si adversa pateris, non habes exclusi-
vam à cælo. *Omnes enim, qui piè volunt vivere*
in Christo Iesu, persecutionem (adversa) pa-
tientur. 2. Tim. 3. Quòd si jam prosperè hoc
illud tibi succedat, cogita id inde evenire, quod
tibi sincerè Dei gloriam proximique aut pro-
prium animæ tuæ bonum spectanti hoc solatium
etiam in hac vita det Deus ad te in servitio suo
animandum. Dicunt aliqui ob adversa mæ-
stitiaæ oceano immersi, se non experiri successi-
onem alicujus prosperitatis aut divinæ benedi-
ctionis post tot adversa, morbos, egestatem, &c.
sed præterquam quod ipsi sæpè in causâ sint v.
g. continuæ infirmitatis, mali successus in re
familiari, negotiis, litibus &c. nec miracula à
Deo requirere debeant, & quisque suæ fortunæ
plerumque faber sit, falsum est, quòd quiscon-
que demum miser continuò deseratur à Deo.
Unde enim haberet panem, has illas vires animi
& corporis ? nisi Deus hoc illo solatio hâc illâ
mirabili æ benevolâ dispositione adesset.

JMCAY.